



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 16. Papa in Columnenses vehementer indignatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

tum vero, quod palam facere erat pro- **Sæcul. XVI.**  
 hibitum, nequaquam tabulis inferebatur: **A.C. 1556.**  
 quamvis idipsum postea inter accusa-  
 tionum capita, ob quæ Caraffa sub Pau-  
 li IV. successore fuerat condemnatus, re-  
 censeretur: eidem enim criminis datum,  
 quod absque Patrui sui jussu Galliarum  
 Regem eo induxisset, ut hic Italiam in-  
 festis armis devastaret.

### §. XVI.

#### Papa in Columnenses vehementer in- dignatus.

Priusquam Legati sese itineri accin- **Thuan. l. 17.**  
 gerent, Pontifex in publico Purpu- **Pallav. l. 13.**  
 ratorum Senatu in Columnenses vehe- **l. 17. n. 3.**  
 menter insurgebat, eosque velut impios  
 traducens, quod eorum Majores semper  
 Sacræ Sedi infesti fuissent, ostendere  
 nitebatur, speciatim vero declamabat in  
 Ascanium eo tempore Neapoli capti-  
 vum, qui Clementem VII. olim in arce  
 oppugnaverat, & cum Hispanis urbem  
 diripuerat. His præmissis in Marcum  
 Antonium Ascanii fratrem accerrime  
 invehebatur, eoquod hic paternis vesti-  
 giis insistens scelerate grassandi princi-  
 pium ab ipso parente fecerit, eumque  
 illo impietatis modo spoliaverit, quo  
 nunc sacrilega, & detestanda in Pon-  
 tificis, ac Sacræ Sedis perniciem con-  
 silia agitet: his motus Papa ipsum bene-

A a 4 ficiis

**Sæcul. XVI.** ficiis ex plurimorum Pontificum gratia  
**A.C. 1556.** concessis indignum pronuntiabat, & bona tam Patris, quam Filii proscribens, evulgato diplomate admodum acerbo, eos diris devotos sacræ censuræ subjiciebat, imo nec multo post Montorium Comitem Nepotem suum Paliani Ducem solenni ritu creabat, atque bona fisco adjudicata, & intra ditionem Ecclesiasticam sita eidem concedebat.

Tandem anathema etiam vibrabat in eos, qui eisdem auxilium præbere, vel illos defendere præsumerent. Re comperta Marcus Antonius in Neapolis Regnum secessit, ubi perbenigne exceptus illud subinde reliquit, ut in ditiones, quibus fuerat exutus, populabundus excurreret.

Sub idem tempus Pontifex Urbinate Ducem a ditionis Ecclesiasticæ Regimine amovit, ac Montorium Comitem Ecclesiæ Gubernatorem nominavit, tradito baculo hujus dignitatis insigni: Comitis autem Filio adhuc pueru Cavium, quod oppidum Columnenibus olim parebat, unacum Marchionis titulo attribuit. Ceterum Caraffa Cardinalis suum discessum unice ideo differebat, ut Petri Strozzi, sub cuius imperio nuper stipendia merebatur, adventum præstolaretur, eoquod hic Reginæ sanguine junctus apud Gallos ma-

gno

gno in honore habitus Hispanis palam **Sæcul.XVI.**  
 adversaretur. Hic idem tum intentus **A.C.1556.**  
 erat, ut civitatem veterem, Antium (\*)  
 & Palianum, quibus urbibus Columnen-  
 ses nuper fuere spoliati, propugnaculis  
 firmaret, quo circa adductis munienda-  
 rum civitatum peritis loca, quæ pro mu-  
 nimentis ibi exstruendis apta erant, de-  
 signabat, ac Palianum annona, aliisque  
 ad sustinendam obsidionem necessariis,  
 si forte Columnenses hanc urbem ag-  
 gredi molirentur, instruere jubebat, nam  
 hisce propugnaculis summus Pontifex  
 re ipsa ditionis Ecclesiasticæ fines ab ho-  
 stili Neapolitanorum incursu securos  
 reddere fatagebat.

### §. XVII.

*Caraffa Cardinalis unacum Strozziō  
 in Gallias profectus.*

Quamprimum Strozzius Pallianum  
 validis ubique munimentis firma-  
 set, con festim ad Caraffam Cardinalem  
 Romam contendit, atque ambo Centum-  
 cellas, seu civitatem veterem versus  
 viam aggrediebantur, comitantibus eos  
 quam

---

(\*) Hæc urbs hodie Neptunum vocatur,  
 exiguum oppidum ex Antii ruinis constructum,  
 ac decimo lapide a Terracina diffitum.